

sic potest illud amare ob hoc vel illud motivum : sed *intellectus* est potentia necessaria, et sicut hinc cognoscere debet omne vere cognoscibile, sic pariter debet illud cognoscere omni modo et ex omni motivo, quo cognoscibile est sine cognoscentis imperfectione. 2°. Cum voluntas sit sedes *moralitatis*, moralitas autem actuum divinorum debeat esse perfectissima, sequitur etiam hos actus ex motivo perfectissimo, quale est una bonitas increata, proficisci debere : e contra sicut perfectio intellectus divini exigit, ut omnia cognoscat etiam ea, quæ voluntas amare nequit, qualia sunt peccata; ita pariter exigit, ut ea in se ipsis cognoscat, cum aliunde in hoc nulla repugnantia aut species imperfectionis reluceat.

ARTICULUS IV.

AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT CONTINGENTIA ABSOLUTE FUTURA?

123. *Dico I.* Deus omnia contingentia absolute futura certissime ac infallibiliter jam ab æterno cognoscit.

Prob. In SCRIPTURA 1°. præscientia futurorum liberorum statuitur tanquam proprius Divinitatis character; Isa. 41. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* 2°. Eadem scientia universim tribuitur Deo; Sap. 8. 8. *Signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et seculorum.* Dan. 13. 42. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant.* 3°. Speciatim etiam hujus scientiæ exempla proferuntur; David enim de se Psal. 138. 3. ait : *Intellexisti cogitationes meas de longe; et omnes vias meas prævidisti:* Deus apud Isa. 48. 5. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent, indicavi tibi, ne forte diceres: idola mea fecerunt hæc.* De Christo Joan. 6. 65. *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* His adde ex Prophetarum libris prædictiones omnes, utpote eventu certo jam comprobatas; unde Tertul. L. 2. cont. Marc. c. 5. *Præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.* Idem testantur Patres: ORIG. apud Eus. L. 6. c. 44. (p. 284. A.) de præp. Evang. ait : *Quidquid aliquando futurum est, id Deum multo ante futurum prænosse, ut Scripturæ abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam et excellentiam divinæ mentis intelligit.* S. AUG. L. 5. de Civ. c. 9. n. 1. *Confiteri Deum, et negare præscium futurorum, apertissima est insania.*

Conf. Mens divina est perfectissime et *infinite intellectiva*, adeoque certo et infallibiliter cognoscit omnia cognoscibilia sibi aliquando præsentia : est autem *æterna*; adeoque omnia, quæ fuerunt, sunt, aut erunt, aliquando sunt Deo præsentia. Præterea Deus est immutabilis; proinde ejus etiam scientia quoad se est *invariabilis*, quamvis objectum ejus sit variabile; ergo non cognoscit res tunc primum, quando actu sunt, sed ab æterno, sive una cognitione æterna attingit omnia. Denique quæcumque erunt, Deus ab æterno in sapientia sua constituit vel ordinando vel permittendo : hoc vero sine certa ac infallibili notitia fieri nequibat; ergo.

124. *Dico II.* Deus contingentia absolute futura non videt in decretis ad unam partem antecederet determinatis.

Prob. Hujusmodi decreta videntur esse superflua, sanctitati divinæ injuriosa, et libertati creatæ noxia; ergo non dantur, ideoque Deus in iis futura videre nequit.

Ant. prob. quoad 1^{am} part. Quia decretum antecederet determinatum ac determinans 1°. non est necessarium ad salvandam in Deo rationem *causæ primæ*; cum hæc ratio salvetur in eo, quod Deus dederit ac conservet causæ secundæ vires ad operandum, et per concursum indifferenter oblatum compleat ejus potentiam proximam, sicque moveat et applicet ad operandum, quin eam determinet : nec 2°. est necessarium ad salvandum *supremum Dei dominium*; cum illud ut *morale* salvetur per hoc, quod Deus causæ secundæ actus possit imperare vel prohibere, illosque pro suo placito ad certum, quem libuerit, finem dirigere et adhibere; ut *physicum* vero per hoc, quod causam secundam possit conservare vel destruere, eamque per media quamvis ex se repudiabilia, tamen certo et infallibiliter Deus possit perducere ad operandum id, quod ipse voluerit : nec 3°. est necessarium ad salvandam infallibilitatem *divinæ præscientiæ*; cum, ut S. AUG. L. de prædest. Sanct. c. 10. n. 19. inquit, prædestinatio quidem sine præscientia in Deo esse nequeat, possit tamen esse sine prædestinatione præscientia : nec 4°. necessarium est ad tollendam *causæ secundæ indifferentiam*; cum hæc non sit passiva sed activa, nec proveniat ex imperfectione et defectu, sed ex perfectione et eminentia virtutis ad agendum, vi cujus ita habet potentiam agendi, ut pro arbitrio agere vel non agere possit.

Quoad 2^{am} part. Quia si Deus prædeterminaret vel condeterminaret ad materiale tantum peccati, evaderet auctor peccati; tum quia Deus omnino censendus foret velle ipsum formale peccati cum materiali, quod vult et præordinat, necessario connexum : tum quia nec homo, qui causa per se peccati habetur, aliud quid facit, præsertim in *Thomistarum* sententia formale peccati in negativo constituentium.

Quoad 3^{am} part. Quiaposito ejusmodi decreto homo v. g. nec libere eliceret amorem, ad quem determinat illud decretum; nec libere etiam ommitteret non amorem vel odium. Nam in hoc casu : 1°. Homo ille non potest seipsum determinare ad amorem, neque ante illud decretum determinans, cum alias foret inutile hoc decretum; neque dum actu decretum illud determinat, cum se determinare ad amorem non sit præcise amare, nec sponte tantum amare, sed amare vel amare velle sine aliqua necessitate vel obligatione intrinseca antecedente ad amandum, ut tamen fit præsentem isto decreto. 2°. Homo ille odium ommitteret necessario, non autem libere seu ex potestate intrinseca et dominio in actum, quia non haberet decretum determinans ad odium. Nam qui caret virtute aliqua sic ad odium necessaria, ut ea non posita repugnet esse odium, ille necessario et non libere odium omittit : sed qui non habet illud decretum seu prædeterminationem ad odium, caret ejusmodi virtute; ergo.

125. *Dico III.* Deus futura ejusmodi videt immediate in *seipsis*, h. e. in veritate eorum objectiva et actuali existentia in secutura temporis differentia.

Prob. Contingentia absolute futura sunt determinate vera et cognoscibilia

in seipsis; tum quia præscindendo ab omni *decreto* vel *causa*, verificatur in sensu formali de illis hæc propositio: jam non existunt, existent tamen postea: tum quia sicut existentia rei in tempore præsentis cognoscibilis est in seipsa et præscindendo ab omni causa tanquam illius constitutiva, sic et cognosci potest existentia rei in secutura temporis differentia; ergo Deus, qui ab aeterno cognoscit rem quamcumque pro eo modo ac tempore, quo scibilis est ac vera, futura hujusmodi in seipsis cognoscit certo et infallibiliter; cum nos eadem cognoscamus sæpe probabiliter aut imperfecte.

Conf. I. S. THOM. in 1. Dist. 38. q. 1. a. 5. in θ , postquam dixisset, in causis quidem necessariis rem futuram cognosci certo posse, minime autem in iis, quæ se habent ad utrumque effectus, scilicet in liberis; ac præterea docuisset contingentia, quando jam extant in rerum natura, habere esse determinatum, ideoque certitudinaliter posse cognosci; demum scribit, divinam de futuris cognitionem non obstante rerum contingentia esse certissimam, quia divinus intellectus intuetur unumquodque contingentium, non solum prout est in suis causis, sed prout est in suo esse determinato, et hanc mox rationem subjungit: *Cum enim re existente ipsam rem videat, prout in suo esse determinato est, aliter cognosceret rem, postquam est, quam antequam fiat, et sic ex eventibus rerum aliquid ejus cognitioni accresceret.* Idem uberius in resp. ad 3. sic exponit: *Actus divinæ cognitionis transit supra contingens, etiamsi futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum dum est: et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium; ideo dicitur, quod in se consideratum est contingens: sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium; quia ad ipsam non refertur, nisi secundum quod est in esse actuali: et ideo simile est, sicut si ego videam sortem præsentialiter currere; quod quidem in se est contingens, sed relatum ad visum meum est necessarium.* Similia repetit in q. 42. de ver. a. 10. in θ . et in *SUMMA*, ubi soli Deo tribuit cognitionem contingentium futurorum in se ipsis ac infallibilem, creaturis vero conjecturalem duntaxat et in causis, ut patet ex parte 1^a. q. 14. a. 13., q. 37. a. 3., q. 86. a. 4.

Conf. II. Si Deus futura hujusmodi non cognosceret in seipsis, id oriretur vel ex eo, quod cognitio Dei, utpote per medium contingentis, non posset esse *infallibilis*; vel quod illa cognitio, utpote habens motivum determinativum creatum, foret *imperfecta*: sed neutrum ex his sequitur. Nam imprimis quamvis etiam prædeterminatio vel decretum quodcumque, cum sit liberum Deo, possit dici contingens, non tamen in sensu adversariorum hoc impedit infallibilitatem scientiæ divinæ; cum hæc non nitatur illi decreto utcumque, sed ex supposito quod existat: sic similiter ea contingentia futurorum non obstat infallibilitati cognitionis divinæ; cum et ista asseratur ex supposito quod res postea exitura sit, in quo sensu jam res necessaria est, ut proxime exposuit S. THOMAS. Deinde cognitio divina non redditur imperfecta, quod veritas objectiva futurorum sit motivum seu ratio assensus divini, cum eadem veritas præsentium et præteritorum, quæ juxta omnes cognoscuntur a Deo in se ipsis, nullam imperfectionem refundat in cognitionem Dei; ergo.

126. *Obj. cont. 1^{um}.* Quando Deus futura prædixit, hæc prædictiones sæpe caruerunt effectu, ut constat ex Isa. 38. de morte Ezechiae, et Jonæ 3. de subversione Ninive: aut fuerunt tantum *conjecturales*, quia tam circa futura

absoluta quam conditionata Deus sæpe usus est particulis *forte* vel *forsitan*, ut patet ex Jerem. 26. 3., Ezech. 2. 5., Joan. 5. 46. etc. Ergo hæc futura Deus vel plane non vel non certo præscivit.

R. *Ad 1. D.* Prædictiones Dei absolutæ caruerunt effectu *N.* conditionatæ, *subd.* ex defectu certitudinis divinæ in cognoscendo *N.* ex defectu conditionis non impletæ *C.* Vide de his Tractatum de Fide.

Ad 2. D. Sæpe usus est his particulis ad declarandam cognitionem Dei de futuris dubiam et conjecturalem *N.* ad alia quædam vel circa modum asserendi, vel circa res ipsas futuras, vel circa auditores prædictionum significanda *C.* Adverbia *dubitandi* non semper incertitudinem designare, patet ex pluribus Scripturæ testimoniis, in quibus per illa significatur sollicitudo et spes erecta, ut in illo Moysis Exod. 32. 30. *Ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro*; aut difficultas rei, ut in illo Pauli ad Phil. 3. 11. *Si quo modo occurram ad resurrectionem*; aut usurpatio particulæ expletivæ et affirmatio, ut in illo Christi Joan. 8. 18. *Si me sciretis, forsitan et patrem meum sciretis*, quod Joan. 14. 7. sic refertur. *Si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis.*

Similia intelligenda per illas particulas in objectis textibus declarant SS. Patres: *HIER.* enim in Jerem. c. 26. v. 4. *Verbum ambiguum*, inquit, *Majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut liberum homini servetur arbitrium; ne ex præscientia ejus, quasi necessitate vel facere aliquid vel non facere cogatur.* *GREG. M.* in Ezech. L. 1. hom. 9. n. 8. ait: *Dum constat, quod omnipotens Deus omnia sciat, mirandum valde est, cum dicitur, si forte audiant. Quapropter sciendum nobis est, quia ista dubitatio locutionis Dei non ex ignorantia, sed ex alia significatione descendit.* *AUG. Tr.* 37. in Joan. n. 3. sic loquitur: *Ille, qui omnia scit, quando dicit forsitan, non dubitat; sed increpat... Dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia nesciente: quando vero dicitur a Deo verbum dubitationis, cum Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Idem aliam significationem hujus particulæ exprimit in comment. ad Psal. 2. verba hæc, *Nequando irascatur Dominus*, scribens: *Cum dubitatione positus est, non secundum eos ipsos qui monentur, quia cum dubitatione solent cogitare iram Dei, quibus non aperte revelatur.* Similia habentur apud *AMBROS. L. 2.* de penit. c. 5. et alios Patres.

Inst. AUG. L. 2. ad Simplic. q. 2., *GREG. M. L. 20.* mor. c. 23 (al. 32. n. 63). *BOETIUS L. 5.* de Consol. pros. 6. negant in Deo esse veram præscientiam; ergo. *Conf.* Scientia futurorum contingentium ex suppositione saltem antecedente est contingens; ergo qua talis non dicit novam perfectionem; ergo sicut ex eo, quod Deus modo in tempore fiat actu producens mundum, in eum nullam imperfectionem refundit; sic nec inde imperfectio in Deo argui posset, si futura contingentia nesciret ab aeterno, sed primum cognosceret determinate, dum existunt.

R. *D. A.* Negant in Deo præscientiam quoad nomen *C.* quoad rem nomine significatam *N.* sensus quippe *PATRUM* est, quod respectu Dei omnia sint præsentia, atque hinc in eo statuenda sit scientia, non autem præscientia, utpote quæ futurorum est; quemadmodum ipsa verba, si inspiciantur, aperte docent.

Ad Conf. R. 1^o. D. 1^{um}. *Cons.* Hæc cognitio qua talis non est nova perfectio, quatenus cognoscere rem futuram non est perfectius, quam cogno-

scere ejus oppositum, si id futurum esset *C.* Quatenus cognoscere futurum non est perfectius, quam illud non cognoscere aut de eo conjicere tantum *N.* Primum duntaxat ostendit, quod illa habitudo scientiæ divinæ ad futurum sit prædicatum neutrum vel perfectio simplex: *Secundum* autem induceret positivam imperfectionem pluribus divinis prædicatis oppositam.

R. 2^o. *N.* 1^{um}. *Cons.* *Disparitas* est, quia transitus a non producente ad producentem aliquid non facit mutationem in Deo agente, sed tantum in effectu producto, ut patet ex dictis num. 62.; fieret autem mutatio intrinseca in Deo, si quid in tempore cognoscere inciperet, quod ab æterno non novisset; cum denominatio cognoscentis sit vitalis et essentialiter intrinseca. Quod hæc præscientia non obsit libertati, docebitur *infra*.

127. *Obj. cont.* 2^{um}. Voluntas Dei est efficax et infrustrabilis, juxta illud ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistet?* præterea vero juxta illud ad Ephes 1. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*; ergo potest in suis decretis omnia cognoscere. *Conf.* SS. Patres et Doctores aperte id insinuant. Nam 1^o. HILAR. L. 9. de Trin. n. 58. et seq. ait: *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* Et AUG. L. de prædest. SS. c. 10. n. 19. *Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* 2^o. Idem L. de don. persev. c. 17. n. 42. loquens de bonis operibus inquit: *Si Deus ea se daturum præscivit, profecto prædestinavit*; unde sequitur ab illo præscientiam Dei in ejus decreto fundatam agnosci. 3^o. S. THOM. L. 1. ad Annibald. Dist. 38. q. 2. a. 1. ait: *Deus scit res, in quantum est causa rerum*; in 1. Dist. 39. q. 1. a. 1. ad 5. *Scire in Deo sequitur voluntatem, ut imperatum ab ipsa*; ergo.

R. *D.* 1^{um}. *p. Ant.* Voluntas Dei circa actus proprios aut creaturæ necessarios est efficax et infrustrabilis *C.* circa actus creaturæ liberos, *subd.* est efficax et infrustrabilis ratione decreti determinati ac de se habentis infallibilem connexionem cum actu futuro *N.* ratione scientiæ mediæ, a qua divinum decretum dependet *C.*

2^{um}. *p. D.* Similiter. Loquitur enim Apostolus primario de donis *gratuitis*, v. g. redemptione hominum, vocatione gentium etc., quorum solus Deus est causa tum *physica*, quia solus ea producit, tum *moralis*, quia nulla eorum ratio est in nobis, sed una in Deo, qui sua ex bonitate decernit, talia nobis dona conferre. Si tamen textus Apostoli intelligatur de omnibus, quæ operatur in et cum nobis, operatur secundum consilium voluntatis suæ, quatenus media et rationes, de se quidem indifferentes, sed quas novit cum effectu et fine intento conjungendas, pro sua voluntate eligit ac decernit.

Ad Conf. R. Quoad 1^{um}. In utroque textu sermonem esse de iis, quæ solus Deus facit, illique soli libera sunt. De mente autem AUG. etiam constat ex contextu; quia cum adduxisset ibidem illud ad Rom. 4. *Abraham credidit dans gloriam Deo; quoniam quæ promisit, potens est et facere*, subjungit: *Non ait prædicere; non ait præscire; nam et aliena facta potest prædicere atque præscire; sed ait potens est et facere: ac per hoc facta, non aliena; sed sua.* Quoad 2^{um}. *D. seq.* Sequitur præscientiam fundatam esse in decreto antecedenter determinato *N.* in decreto de se indifferenti ac evitabili a libertate humana, et sic consequenter tantum determinato *C.* Quoad 3^{um}. eadem est responsio; D. THOMAM nempe loqui de scientia visionis in decreto consequenter tantum determinato et antecedenter evitabili.

Inst. Decretum Dei antecedenter determinatum 1^o. determinat creaturas secundum nativam earum indolem, necessarias nempe ut agant necessario, liberas ut agant libere: 2^o. nihil ponit in voluntate nisi ipsam ejus actionem; quæ cum sit complementum potentiæ agendi, potentiam ipsam non lædit aut minuit: 3^o. importat tantum necessitatem hypotheticam et consequentiæ, non autem absolutam et consequentis; quia quamvis recte sequatur: Deus determinat hominem ad ambulandum; ergo ambulabit: tamen ipsa ambulatio est actio libera; ergo.

R. *N. A. vel prob.* Nam 1^o. hoc ipso, quod decretum sit antecedenter determinatum, non possunt jam per illud liberæ causæ agere libere. 2^o. Quamvis actio de se non minuatur potentiam, tamen ut provenit a decreto prædeterminante ad unum, lædit omnino potentiam, quæ debet esse libera ad oppositum. 3^o. Ipsa deambulatio licet secundum se spectata sit actio libera, non manet tamen, ut pendet ex tali hypothesi, quæ antecedit libertatem hominis et consensum ejus liberum.

128. *Obj. cont.* 3^{um}. 1^o. Cognitio infallibilis nequit habere medium fallibile: sed cognitio Dei est infallibilis, et futurum contingens in se est fallibile; ergo. 2^o. Si Deus futura videret immediate in *seipsis*; ergo certitudo et infallibilitas scientiæ divinæ haberetur a creaturis: expectaret Deus existentiam futuri ejusque veritatem, ut illud cognosceret: futurum esset prius scientia divina. 3^o. Nec actus liber voluntatis nec ejus determinatio potest esse independenter vel sine decreto divino; ergo ejus determinata veritas nequit cognosci pro priori ad decretum, imo nequidem sine decreto divino; ergo nec præscindendo a decreto divino; præsertim cum Dei cognitio sit *comprehensiva* et non tantum actum, sed ejus causam et decretum cognoscere debeat.

R. *Ad 1. D.* Futurum contingens est fallibile antecedenter, h. e. ante suppositionem futuritionis *C.* consequenter ex suppositione futuritionis *N. m. et rationem.* Quia ex suppositione hac implicat rem futuram non esse futuram et determinatam.

Ad 2. R. D. Certitudo et infallibilitas scientiæ divinæ formalis et subjectiva, seu quæ tenet se ex parte cognoscentis, haberetur a creaturis *N.* objectiva et quæ se tenet ex parte rei cognitæ *C.* Ex hac vero si quæ forsant scientiæ divinæ dependentia infertur, non est illa proprie dicta et imperfectionis, sed impropria et perfectionis. Deus jam ab æterno cognoscit, quod in tempore existet: et quamvis in ordine ad signa rationis non cognoscat futura contingentia, nisi in *signo* per se *posteriori* ad absolutam illorum existentiam; hoc tamen non ostendit expectationem *propriam*, quæ importat aliquam animi vel potentiæ suspensionem pro tempore vel signo, quo exerceri possit illud: *impropriam* vero admittere absurdum non est; tum quia ISA. 30. *expectat Dominus, ut misereatur vestri*: tum quia futura, ut absolute existentia, ante signum prædictum cognoscibilia non sunt. Denique futurum non est secundum tempus et realiter prius quam divina scientia, sed formaliter et secundum nostrum concipiendi modum, ac quidem divina scientia non entitative sumpta, sed reduplicative et denominative sumpta.

Ad 3. R. Cum determinatio voluntatis non sit aliqua entitas ab actu

voluntatis distincta, neque proprie aliqua formalitas actus, sed mera ratio in actu dicens ita procedere actum a voluntate, ut ab ea eligatur, omnino admittimus sine decreto et concursu divino, antecedenter tamen indifferente, non actum voluntatis nec ejus determinationem poni posse; quia ut res sit seu esse accipiat, essentialiter requiritur ejus causa, quam in Deo et voluntate adæquate constituimus. Hinc vero sicut determinata futuri veritas pro priori ad suam causam nec esse nec asseri potest, etiam nequit pro priori ad decretum divinum cognosci aut per propositionem enuntiarī. Cum vero veritatem objectivam non constituat decretum divinum, et effectus etiam, qua talis, secundum suum esse formale seu constitutiva intrinseca cognosci queat, quin illa cognitione attingatur simul ejus causa aut aliud quodcumque ad ejus positionem adhibitum; sequitur saltem ab intellectu creato futurum formale cognosci posse sine decreto et ab eo præsciendo. Cognitione Dei realiter quidem sumpta est comprehensiva tum actus tum causæ tum sui decreti, sumpta autem formaliter ac reduplicative seu quatenus est cognitio futuri terminatur ad esse formale futuri, utpote quod in esse veri et cognoscibilis constituitur sine decreto tanquam parte.

129. *Observa.* Deus contingentia absolute futura non videt in sua essentia tanquam specie intelligibili, quia hæc non est necessario connexa cum contingente absolute futuro, sed indifferens ex se est ad representandum futurum æque ac non futurum; nisi ex supposito existentie futuræ, cum essentia divine vis representandi infinita jam determinata sit ad representandam futuram existentiam. Neque in decreto applicativo suæ omnipotentia aut in alio quocumque decreto scientiam mediam antecedente vel ab ea independente cognoscit: de facto tamen cognoscit in complexo scientia mediæ et decreti omnipotentiam applicantis; nam illud est ad utrumque indifferens, vel si est cum uno determinate extremo essentialiter connexum, obest libertati: hoc vero complexum una cum infallibilitate cognitionis divine salvat libertatem voluntatis humanæ. Porro Deus futura prædicta videre quidem nequit in causis creatis liberis nude sumptis; videt tamen illa in causis his, ut sese determinaturis: quia causæ creatæ liberæ, quantumvis proximæ completæ ac expeditæ, quoad actum primum spectari adhuc debent ut indifferentes ad agendum vel non agendum: sed ut sese determinaturæ spectantur in actu secundo ut natura seu causalitate priores effectui. Multo minus Deus futura videt in ipsorum coexistentia reali cum æternitate divina; tum quia nullum futurum physice ac realiter ab æterno extitit: tum quia æternitas, qua Deus creaturis in tempore existentibus coexistit, non facit illas Deo ab æterno præsentis, sed tantum præsentis æternitati in tempore: tum quia hic cognoscendi modus convenire nequit Deo respectu futurorum conditionatorum, quorum conditio nunquam est implenda. Cum cognoscit autem futura, hæc cognoscit in veritate objectiva et entitate ipsa, quæ aliquando erit; et sic illa coexistunt Deo ab æterno, at præsentia mere objectiva.

ARTICULUS V.

AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT CONTINGENTIA CONDITIONATE FUTURA?

130. *Nota 1.* In conditionate futuris tria sunt consideranda: *conditio*, quæ etiam hypothesis dicitur, est illa, sub qua aliquid affirmatur vel negatur, et per particulam *si* communius exprimitur: *conditionatum*, quod sub conditione affirmatur vel negatur, et in futuris eventus dicitur: *habitus* vel conducentia conditionis ad conditionatum.

Dividitur 1^o. in mere seu *pure* conditionatum, ubi scilicet conditio nunquam purificabitur, h. e. ponetur seu ad statum absolutum reducetur; et in *non pure* conditionatum, ubi conditio purificabitur, et hinc ex conditionate futuro evadet absolute futurum. De primo membro quidem movetur quaestio, cum de altero jam in præcedente articulo responsum fuerit: nihilominus ad ea *secundum* quoque pertinet, eo quod omne absolute futurum præsupponat ante se conditionate futurum; cum, si verum est effectum v. g. esse exiturum sub hac libertate, etiam verum sit quod exiturus sit hic effectus, si detur hæc libertas.

Dividitur 2^o. in conditionatum *impossibile*, ubi scilicet sub conditione impossibili aliquid enuntiat; v. g. si lapis esset homo, libere operaretur: in conditionatum *necessarium*, ubi aliquid enuntiat sub conditione, quæ necessariam habet connexionem cum conditionato; quod dupliciter haberi potest, nempe vel ex essentia et *natura rei*, ut in hac propositione: si ignis est, calefacit; vel ex solo *decreto* ac *voluntate Dei*, ut in his: si peccator morietur cum poenitentia finali, salvabitur: si percussisset Joas terram jaculo quinquies aut sexies, salvabitur: si percussisset Syriam usque ad consumptionem: si Christus non abiisset, Paraclitus non venisset ad Apostolos, etc.: in conditionatum *contingens*, ubi conditionatum enuntiat sub conditione, quæ quidem non habet connexionem cum conditionato necessariam, sed tamen vel per modum *causæ* vel per modum *occasionis* connectitur cum existentia objecti conditionati, ut in his: si Petrus vocetur auxilio hoc, assentiet; si vocetur auxilio illo, dissentiet; in qua postrema quamvis auxilium illud nullam dicat proportionem conducentia ad dissensum, sicut auxilium hoc in priori eam dicit ad assensum, tamen habet proportionem constitutivi libertatis ad dissensum, ut nempe conducit ad oppositum scilicet assensum: in conditionatum *disparatum* ubi conditionatum enuntiat sub conditione, quæ nullam plane ad illud connexionem dicit, ut in hac: si Turca dormit, Papa orat. Hujusmodi autem propositiones semper sunt falsæ, si particula *si* rigorose sumatur; eo quod propositio conditionata *rigorose* sumpta non affirmat vel negat nudam existentiam conditionati, sed dependenter a conditione; conditionatum autem nunquam existet nec non existet dependenter a conditione *disparata*, ut patet ex terminis: possunt tamen esse veræ, si particula illa *si* explicetur vel æquivalet particulæ *quando*, et significet tantum concomitantiam utriusque propositionis: atque in hac potest subinde dari connexio etiam *necessaria* sed *ab extrinseco*, scilicet a voluntate divina vel creatæ, ut patet in illa Eliæ ad Elisæum: si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petisti. Porro quamvis postremum condi-